Monarchia Britannica

Sub auſpiciis { ELISABETHÆ *Felicis* / JACOBI *Pacifici* / CAROLI I. *Pientiſſimi*

Panegyrice Celebrata

A *Tho. Maſter* A. M. Coll. Nov. Soc. in Navi Capellæ Anno Dom. 1642. *Mart.* 27.

Ab *Henrico Savilio* Eq. Aur. Ann. 1592. *Sept.* 23.

Ab *Henrico Wottonio* Eq. Aurat. Ann. 1633.

OXONII

E Theatro SHELDONIANO. *Anno* 1681.

Lectori Salutem.

Viſquis præſentem ſtatum ſeu Civilem, ſeu Eccleſiaſticum commutari non volet, & Civis, & Vir bonus eſt. Quod quidem probe perſpectum habuit Noſter, Quemadmodum hæ jam Reliquiæ, Tanquam Tabulæ votivæ poſt communia pene naufragia, Civili bello, & poſt homines natos crudeliſſimo, tam ſacris Regum Britannicorum nominibus, & longa annorum ſerie venerandis, quam Infulatæ

latæ Pietatis Myſtis intentata, teſtantur ſatis. Eo enim ſemper fuit animo cum Clariſſimo Sarravio, ut melius exiſtimaverit in Regno, & Statu Monarchico convenire regimen Epiſcoporum, quam Presbyteriorum. Oportet ſcilicet quantum fieri poteſt Eccleſiaſtica temperare ſecularium in modum. Quod ut felix olim majoribus noſtris ſemper fuit, ita & fauſtum, fortunatumque ſit & Nobis, ſeriſque Nepotibus. Tandem ergo aliquando Orationem in lucem proferre, omniumque oculis ſubjicere, tam elegantiarum mirandum artificium, quam materiæ dignitas perſuaſit, & ut juſta perſolvantur Memoriæ, & eruditis Manibus tanti Theologi, qui morbo Caſtrenſi Epidemico, quin & Academico, periit, quo quondam confoſſi No-

Vid. Epiſtol. *cl. Sarav.*

Cartwright, Diggs *aliique.*

liores

biliores Spiritus, ut apes ſulphure, maxime vero Mercuriales, occubuere. Cæterum in damnis recenſendis ejuſdem tempeſtatis Ambitionem Rhetoricam ſectari nec geſtit animus, nec deſiderat, cum Amneſtiæ Reſcripto, tantæ jacturæ, Oblivionis involucro, jamdudum ſepeliantur. Utcunque fortunatæ quodammodo ſunt favillæ cum in monumentis, ut animalcula pretioſo involuta ſuccino, latent, lucent olentque ſuaviter. Neque vero autori vertatur vitio, quod in altiori Theologiæ ſphæra collocatus, ſummus audiat Philoſophus; & tam Arcana Naturæ, quam Imperii, & Oratorios Nervos, quam Prudentiæ mira calleat Animi dexteritate. Ut ut eſt, æqui Conſulas velim pugillarem hunc Panegyricum, qui detrimento magnitudinis,

veritatis

veritatis nulla jactura, res gestas Britannicas sub Auspiciis Elisæ, Jacobi, & Caroli I. ut orbis ambitum tabula Geographica brevi ostendit imagine. Et hic quidem Nervus est Artificii subtilis, in eadem & minima Tabella Tantorum Principum, instar Gigantis, immensam molem in exiguam effigiem (quem Mannekin *appellant pictores Germanici) symmetriæ beneficio posse proportionaliter contrahere. Sed manum de Tabula.*

Vide Jo. Dee præfationem Mathematicam in Eucl.

Tuus
JOH. LAMPHIRE M.D.
Hist. Prof. Nov. Col. Soc.

ΛΟΓΟΙ ΠΑΝΗΓΥΡΙΚΟΙ.

QUOD omnium rerum ocyſſimè ſeneſcat benefactorum recordatio, neque certiore quicquam fato præſtolentur etiam optimi Principum, quam Populi ſui ingratitudinem; Neſcio, Academici, factumne id arbitrer humani Generis vitio, an maligno quodam ſidere Gentis noſtræ (de qua nolo jam gravius quid aut queri aut ominari.) Veriſſimum quidem eſſe, & temporum in quæ incidimus luctuoſa facies, & hujus ipſius conventus occaſio paulo altius repetita teſtatur ſatis. Ecce! ELISABETHAM & JACOBUM quod laudemus hodie, non *Eliſabethæ*, non *Jacobo* debemus (quibus tamen quid non debemus?) ſed uni cuidam, privati modo nominis & loci, fœminæ. Pudet fateri! Adeo poſt tot congiaria, & ſparſiones, & miſſilium quaſi imbres aliquot novæ largitionis guttulis provocandum erat officium; & mercenaria pietas pecuniolis extorquenda, cum jamdiu nullus pene per manus

noſtras volitaret nummulus, qui non horum Principum ut Imagines, ita merita quoque repræſentaret; ipſis, in quibus fulgent, Metallis pretioſiora, nec ullam prorſus ſenſura, niſi ab ingratorum animis, rubiginem. Ave igitur æternum LÆTITIA! Felix muneris, quo ſimul effeciſti, ut & Nos nobis tandem redderemur, & Tu teipſam ſuperares. Nam Te quidem nemo poſthac privatis annumerabit. Quippe, ut *Herculem* & *Heſperum*, quique alii ſiderum primi motus & nomina tradidere, cœlo mox tranſcripſerunt Poſteri, & cum ipſis una ſideribus coluerunt; ita Te noſtri cum JACOBO & ELISABETHA colent Nepotes; gaudebuntque tanti Principes non à Te modo, ſed & Tecum conſecrari. Nos vero nobis & Majoribus noſtris digna faciemus: hoc eſt, Regum Britannicorum res geſtas Literarum monumentis conſignabimus. Fuit enim, (ut noſtis Academici) id olim Monaſteriorum & Collegiorum labor, & decus; addo, & tutela. Nam quis eos irritare tunc audebat, quos eſſe ſciebat famæ ſuæ Dominos? Potuere multi conſcientiam ſuam nihili facere, non potuere judicium Poſteritatis. Eoque ſæpe qui inter Sacrilegia Jovis fulmen contempſit, expavit Monachi alicujus calamum.

Ne languida foret gratuita Oratoris induſtria Salarium ſat honorarium inſtituit Lætitia Williams *Guil. de Wykeham Conſanguinea.*

mum. Quo quidem transfixi gemunt impii ſacrorum Prædones, & in Hiſtoria, quæ vita reliquis eſt & Immortalitas, perpetuam mortem moriuntur. Hæc igitur non pietatis modo Domicilia, ſed & Antiquitatis ſacraria, qui everteret, nemo repertus eſt noſtrorum Principum, niſi is, cujus intererat nullam ſupereſſe aut Poſteritatem, aut ſui memoriam: qui fulcirent & ab injuriis vindicarent, multi extiterunt; ii maxime quorum hodie ſolennia celebramus. Qui de fama ſecuri, ſuiſque deberi factis æternitatem conſcii, non id modo egerunt, ne materies & ampliſſima ſcribendi ſeges, ſed ne ſcriptor unquam deeſſet Hiſtoriæ futuræ.

Neque vero miretur quiſpiam, quod Panegyricum pollicitus Hiſtoriam loquor: horum enim facinora qui narrat, laudat; neque aliter laudari poſſunt ea, quæ Gloriam & magnitudinem non debent Orationibus, ſed impertiunt, ipſam infantiam eloquentem factura, ipſamque Eloquentiam Infantem: quippe quæ reliquorum geſtis extollendis nata, eorum ne recenſendis quidem ſufficiat. Dabitis ergo veniam (Academici) ſi minus à me fiunt ea, quæ fieri non poſſunt. Et tamen ut Aſtronomo licet eſſe,

qui non omnia ſidera in numerato habet, & Gubernatori, qui non toto cœlo navigat: ſic & Nos in tanta luce rerum, in hoc Oceano præclare factorum, ſi unum aut alterum ex fulgentioribus quaſi ſeptem Triones, aut Cynoſuram obſervaverimus, hodierno noſtro officio ſatis iri factum ſperabimus.

Imprimis ergo ſeſe offerunt ingentis in Europam luminis & influxus Leonis Martium ſignum, eique ſuccedens placida, & Pacifica Virginis imago, BELLUM, ſc. & PAX; ELISÆ Bella, Pax JACOBI.

Neque vero præpoſtera ſunt hæc aut Naturæ contraria. Eſto ſane vulgo, aliud Vir, aliud Fœmina, & Ille Bello, Hæc Paci aptior: at imperantium iſta non magis ſunt quam Deorum diſcrimina. Nemo Princeps aut Mas eſt aut Fœmina: ſexus iis pro temporum & rerum conditione: Temperamentum nulli ſuum ſed Publicum. Ut in cœlo Mercurius, cui ſe cunque conjunxerit Planetæ, ejus ſemper Vires & Naturam induit.

Et ELISABETHAM quidem nulla aut Opum ſitis, aut Imperii cupido (vulgares bellandi cauſæ) ad arma compulerunt, ſed ſalutis publicæ, pietatis, fidei, honoris juſta ratio & neceſſaria: idque, ſive domi rerum habitus ſpectetur,

ſive

ſive foris. Domi, ex antecedentium temporum procellis fluctuantes adhuc animi. Nobilitas, Partium ſtudiis diſtracta, & ſub Rege puero edocta nihil moderatum ſapere: Clerus, ob incerta ſacra, ancipitis ſententiæ & voluntatis: Populus, Quinquennii Mariani ſive infelicitate ſive ſævitia, Fœmineæ dominationis non Admirator; Miles, is maxime qui ab amiſſo nuper Caleto redierat Præſidiarius, raptoque vivere aſſuetus, per urbes, per agros, per vias frequens, ferro & inopia ad omnia armatus. Inter hæc, de ipſius Eliſæ natalibus non eadem omnibus ſententia; neque unus de Regno Candidatus. Fœcunda turbarum ſemina, ſi in animos otioſos incidiſſent. Alio igitur avocandæ vires & mentes, atque in externo hoſte occupandæ; turbæ turbis avertendæ: Ut adverſus imminentes tempeſtates Tormenta diſplodimus, & Campanarum fragoribus tonitrua retundimus. Hæc domi.

Foris, in Scotia (ut a proximis ordiamur) Maria Regina adoleſcentula, tum priſco Regum noſtrorum ſanguine, tum recenti cum Gallo matrimonio, ingens animi & virium, poſt Galliam Scotiamque nova neceſſitudine copulatas, Angliæ quoque imminere: Eliſabethæ ti-

tulos & insignia præcox involare; privatis odiis & æmulatione muliebri succensa cum Anglici se nominis hostibus conjungere. Ex adverso non satis ex interfluo mari distineri Gallus, cum Scota conjuratus, & erepto nuper Caleto tumidus. In Hispania Philippus Caroli V. filius paterni non regni magis quam animi hæres, vasta spe & utriusque Orbis opibus subnixus, tum toti Europæ inhiare, tum imprimis Angliæ; cujus jam ante ex Mariæ conjugio ejusmodi quendam quasi in Promulside gustum præceperat, qui & palato adhuc recens inhæreret, & sacram illam regnandi famem irritaret magis quam extingueret. Inter hæc ab urbe sepcticolli classicum intonare, & sub incude Vaticana fabricari fulmina in Elisæ caput vibranda. Post hæc omnia nemo miretur armatam virginem. Id potius mirum esto in tanta eam periculorum circumstantium multitudine, defensionem magis cogitasse, quam fugam; nec, ut fere fit in summo discrimine, ante conspectum hostem suo seipsam metu expugnasse. At illa, ut & Anglicæ Gentis principem decuit, & Henrici Bellatoris filiam, ab ipsis Angustiis auctior, ab ipsis difficultatibus expeditior, mundi totius irruentis in se viribus,

bus, cauſam & virtutem & Deum ſuum oppoſuit; quaque ſororis antea infenſos animos, & inſidias domeſticorum, eadem nunc conſtantia Exterorum Principum iras & acies contempſit. Probavit Belli & cauſam & conſilium Deus evidentiſſimo omine. Ecce enim! in ipſo apparatu, ne foris ut antea aut fruſtra aut iniquo pretio quærantur Tormenta ignivoma, aut Pyrius pulvis, ex improviſo erupit opulenta æris Vena, & nitrati pulveris conficiendi ratio tum primum noſtris innotuit: Quaſi laxante ſinus Terra, & in ſui Principiſque optimæ Tutelam, conſultiſſimo beneficio, quos res & tempus poſtulabat theſauros porrigente; non quidem aurum & argentum, ſed digna viris metalla, & pretioſioribus illis mox imperatura. Puduit cœlum à terra ſuperari, ipſum itaque & ſua viſcera, nobiles illos ſpirituum theſauros, reſeravit; quantoque nunquam alias fortiſſimorum animorum proventu, Britanniam implevit: Qui originis ſuæ memores, ſtellaſque, unde fluxerant, imitati, tum Principem ſuam quaſi ſolem conſtanti ordine & obſequio reſpicerent, tum interea totum hunc terrarum orbem Conſiliis, Claſſibus, Victoriis perluſtrarent. Hiis Eliſa

occa-

occaſionibus, armis, viris inſtructa, in campum deſcendit. Primaque ejus SCOTIA virtutem ſenſit: Scotia, quæ, Tumultibus nuper domeſticis compeſcendis, Gallum in auxilium advocaverat, jamque concipiebat non minorem ex Remedio, quam ex Morbo, metum. Gallus enim non tam in Tutela quam in Ditione ſua Scotiam eſſe cupiebat, & inde ſibi ad Angliam ſternebat viam, progreſſurus ad Europæ totius, quam ſuis deberi fatis jamdiu jactat, Monarchiam: Certus ante omnia Religionem (quam vocant) reformatam ab radice excindere. Hunc Eliſa, ſuis ſolius viribus, tota Britannia exegit: eademque opera, & ſuorum capitibus periculum, & Scotorum cervicibus tum Gallicum tum Pontificium jugum excuſſit. Ut vel hinc diſcant fratres noſtri vere chariſſimi, quicquid illud eſt quo tantopere ſibi placent, ſive libertatis ſive Religionis, totum id Anglis deberi, (deberi ſane ſine mercede, aut nummorum tot centenis millibus.) Quæ quidem illis Libertatis & religionis utinam tam ſancta fuiſſent nomina quam ſunt ſpecioſa! Sed dum Knoxi conciones ideo frequentant, ut ad Sacrilegia pii evolent, & Buchanani ideo legunt libellos,

libellos, ut cum Ratione occidant Principes: effecerunt ſane ut & erubeſceret Religio Rapinæ famulari coacta, & libertas indignaretur ſuum nomen ſeditionibus prætendi. Hic iterum Eliſa effulſit, & vicinæ Gentis miſerta ſed imprimis cognati Regis (qui infans pene cum hiis monſtris, quaſi in cunis Herculeſ, colluctabatur) porrexit ſalutarem manum, & in componendis motibus, ordinanda Repub. Eccleſia conſtituenda, eam fidem & diligentiam adhibuit, quaſi ſibi id Regnum, non alii, curaſſet, neque ipſi Jacobus eſſet in Angliam ſucceſſurus, ſed illi ipſa in Scotiam. Hæc qui viderit putet eam uni Scotiæ vacaſſe. At illa, ut inter ſidera quæ Principatum tenent, totaque nativo lumine coruſcant, ſuum undique ſpargebat fulgorem: Aquilonem juxta atque Auſtrum, nec Scotiam magis quam ingentibus GALLIAM radiis ſive illuſtrans ſive præſtringens. Ubi poſtquam contemni ſenſit Anglicum nomen, Caletum ex pacto non reddi, Legato ſuo vim intentari, excitari à Roma in ſe fulmen Pontificium, conſcribi denique tota Gallia copias, ſpecie quidem Proteſtantibus in officio continendis, re ipſa Angliæ debellandæ, cui jam jam ex

oppoſita Normannia imminebant; erexit tum ſeſe, trajectoque in continentem milite terruit ſimul Galliam, & ſervavit flagraturam tum Bello Civili, niſi id Anglus infuſus extinxiſſet; ſervarique dignam, niſi in Servatores ſuos arma vertiſſet. Sed ignoſcimus tibi Gallia! non eſt de nihilo quod Anglorum ita conſpectum exhorreſcas. Scit Agencuria & Creſſiacum & Quintini Fanum, ſignata noſtris victoriis loca, tuorum adhuc oſſibus alba. Sed ſecuram eſſe Te jubet Eliſa. Nam quamvis eam fata quodammodo vocent ad Te in priſtinum obſequium redigendam; neque auſpicia ſane minora ſint in hac Virgine Britannica, quam fuerant olim in Puella tua Aurelianenſi: Illa tamen, modo in Religionem reformatam non ſævieris, modo Fœderi illi Sacro in perniciem tuam excogitato renuntiaveris, parci vult tuo ſanguini. Patitur te Capeti potius, quam Wilhelmi Normanni ſobolem venerari, & nunc quidem Valeſiis, mox Borboniis ſervire. Sibi interim magnificentius ducit, quanto difficilius eſt, contemnere ſceptra, quam poſſidere, & dare Regnum, quam accipere. Dedit enim (Academici) coronamque ab ea imprimis ſuo Capiti impoſitam

positam non dissimulavit Henricus ille IV. non minus reipsa quam cognomento Magnus. Mars quidem Gallicus sed parum potens nisi hanc sibi Minervam in subsidium vocasset. Neque Gallia modo nudata & in prædam exposita, sed & oblato sibi in possessionem Belgio manum abstinuit, quod ne in Tutelam quidem, ante recepit, quam & Rebellibus per Angliam Hiberniamque Hispanus faviſſet, & omni nostris commercio interdixisset, *Inferioris denique Germaniæ Britanniæque causam conjunxisset, persuasus à suis, hanc illi prius esse subjugandam, qui velit illam in officio continere. Et Tumultuum quidem Belgicorum Initia & Progressus hic taceo. Parco Philippi Regis & Albani & Aurantii manibus. Exitum sane Elisab. prudentia & fortitudine hunc habuerunt, ut & Anglis, quibus in tota Insula nullibi Arces aut Præsidia, omnisque spes & salus in mari sita, parata sint ex adverso littore Hollandia Zelandiaque æterna propugnacula, quæ Bononiam nobis & Caletum desiderari non sinant; & Batavi, gens non ita pridem ignota, ipsaque quam habitant Terra humilior, exsereret quasi ab Inferis caput, & vicinos populos raperet in admirationem,

Tot eam annos non modo (quod magnum erat) inter Potentiſſimos Principes ſe ſuſtinere, ſed & cum Rege maximo terra marique bellum gerere, & (quod Portenti ſimile eſt) inter media arma, pecuniis, commerciis, Coloniis, Artificiis, ſcriptis ſuis totum pene mundum complere. Adeo ut ad ſummam illis gloriam nihil deſit niſi ſumma Gratitudo ; Ut, maris uſu contenti, Dominium Anglis cedant, neque potentiam, qua creverunt, imminutum eant. Denique, ne retibus ſuis nimium ſacrificent, neque amicis anteponant piſciculos. Sed nimis jamdiu in Belgio hæremus; taciteque indignatur Eliſæ virtus Rheni Moſæque oſtiis concludi. Solvamus in Oceanum ſublatiſque velis atque ſignis, HISPANIAM petamus. Quanquam illa, ni fallor, huc navigat: Quid enim (Academici) ingens illa Moles, quæ ſub Auſpiciis Anni Mirabilis, ſub invincibili titulo, tanto milite & commeatu onuſta, vento & ſpe pariter intumeſcens, gemente pelago & trepidantibus circum littoribus in Angliam ferebatur, vobiſne Claſſis nomine cenſenda videtur ? Gens erat ; Europa erat ; Mundus erat. Neque enim ab Hiſpania modo, Luſitania, Italia, Sicilia,

cilia, ſed ab extrema America, & ultimis mortalium Sinenſibus ſuſcitati aderant, qui aut conſilio aut manu pollebant. Tantum erat in Eliſabetha victa momentum! Quæ quidem mox docuit non hos Hiſpanum victoriæ ſuæ comites adduxiſſe, ſed Teſtes fugæ; quæ plane tot erat Teſtibus probanda, ne aut præſens ætas aut poſteritas parum crederet, à navibus Anglicanis XV. (neque enim plures belli molem ſuſtinuerunt) fuſas fugataſque hoſtium naves Centum quinquaginta; & nautis Britannicis (nam exercitum claſſis noſtra non habuit) Hiſpanienſium militum viginti millia terga vertiſſe. Sed illo, ſi quo alias die, conſtitit Tanti eſſe militem, quanti Imperatorem, tanti Populum, quanti Principem. Nam quo hæc tempore procul in alio quaſi Orbe gerebantur, Philippus Hiſpaniæ ſuæ ſinu abditus, in Eſcuriali conſtruendo occupabat animum, & Lapicidis atque Materiariis immiſtus pro gladio atque haſta Normam & Libellam regia manu moderabatur. Eliſa ad Thamiſis uſque Oſtium occurrebat Hoſti, &, quantum inter fluvios Thamiſis, tantum inter ſuos eminens, Tilburienſes campos, explicataſq; illic Anglorum cohortes, quaſi Pentheſilea quædam,

aut Semiramis, aut (ut domeſtica loquar) Boaduica Britannica, præſentia, alloquio, oculis incendebat. Ergo illam Angli poſtea quaſi fatum aut fortunam Gentis, quaſi Ancile, aut Palladium cœlo delapſum, aut quaſi ipſam potius Palladem venerari. Hiſpanus tanto penitus terrore percelli, ut nullibi terrarum Eliſæ auſpiciis, & quaſi potentiori Genio non ſuccumberet. Quam cum tot jam annos ſenſiſſet non Britannico modo mari, ſed Oceano dominari, ejuſque virtuti neque ferrum Cantabricum, neque Aurum Peruanum poſſe reſiſtere; æger animi tandem & damnis edoctus, cum Philippo filio moriens regnum traderet, inter illa monita Politica, quæ ſucceſſori legabat, quaſi alterum Regnum, hoc imprimis mandabat; Si potentiæ, ſi exiſtimationi Hiſpanicæ conſultum vellet, cum Anglis, cum Eliſab. pacem eſſe ſtabiliendam. Verum hoc neque Philippi tum, neque Reginæ unquam fata patiebantur. Quæ cum tandem annorum Gloriæq; ſatura de Pace ſerio cum Hiſpano agere cœpiſſet, ſenſiſſetque fruſtra id à ſe, repugnante *ſc.* ſuo ſidere, tentari, ceſſit illico Terris, ne ſeculi felicitati obeſſevideretur; maluitque ſe deſiderari, quam Tran-

Tranquillitatem publicam : hunc ſecum in cœlum referens extremi & maximi Triumphi Titulum, Omnes ſe jampridem bello hoſtes ſuperaſſe, nunc morte ſua ipſum Bellum extinxiſſe.

JACOBUS enim cui divinitus reſervatum fuerat hoc PACIS negotium, jam Regnum capeſſebat, &, inchoante ſeculo novo, novabat omnia. Fati ingenio, ut, poſtquam bellicam laudem Eliſa occupaverat, hic aliunde virtutis argumentum quæreret ; atq; ita à materia diverſiſſima parem uterque Gloriam reportaret. Igitur, ut Eliſæ auſpicanti Facem Erinnys extulit, ſigniſque quaſi concinentibus Cœlum Terraque in arma conjurarunt: ita ineunte Jacobo, ubique Oliva pullulavit, totoque mundo deferveſcentibus ventis Halcyonia fulſerunt. Jam Anglia, quæ ſub Regina, tot annos, non tam incerto, quam (ob cauſas neſcio quas) diſſimulato ſucceſſore, fluctuaverat, in Rege multa ſtirpe felici, radices alte figere, &, quaſi Apolline nato Delos, æternum conſiſtere. Jam Anglia Scotiaque longo divortio ſeparatæ, antiquis ſimul & diſſidiis & nominibus renunciare, atque in unam Britanniam coaleſcere. Jam Hibernia jacta-

jactatum tam diu jugum Anglicum cum excutere ſe non poſſe comperiſſet, ſubmittere collum; & adverſus ſuperiorum temporum ſæva imperia ſemper contumax, Jacobi indulgentia miteſcere; omne denique ut Terra ſua, ita animo quoque virus eliminare. Jam Gallia, conſopito nuper belli civilis incendio, & quietis dulcedine deguſtata, decutere Liliis ſuis ſanguinem; & magnus ille Borbonius, Mars Gallicus, depoſita caſſide, in Veneris ſinu caput reclinare. Jam Hiſpania, occupandæ per domeſticos tumultus Galliæ ſpe dejecta, Anglorumque tamdiu, & in hoc & in altero Orbe, viribus attrita, non amplius de Quinta Monarchia, ſed de ſalute ſua cogitare. Et ipſe Rex Philippus ingenio placidus, domi molliter in otii Gremio educatus, Auro denique (quod animos maxime facit) exutus, ab armis ad vota confugere, & (ne quid Auſtriacæ ſublimitati decederet) poſtquam terræ ſubjugandæ ſpes fefellerat, Cœlum precibus oppugnare.

Britannia igitur, Gallia, atque Hiſpania, Regnorum ſub Occidente Sole potentiſſima Trias, triplici nodo conjungi. Quæque ante, tanquam tres Furiæ, ferro facibuſque altera in alteram irruebant,

ebant, nunc quasi Gratiæ totidem Cesto aut cingulo Amatorio colligatæ spargere Rosas, & violas, junctisque dextris Pæana cantare Jacobo Pacifico. Unius supererant Belgii Ordines confœderati, qui pacem in terras redeuntem non ambabus ulnis exciperent. Hii, sive quod iis adhuc Albani rabies ob oculos versaretur; sive quod solenne illud animis insedisset, Odisse quem Læseris; sive quod populus ἀμφίβιος occluso hac pacificatione Oceano, & adempto passim prædandi jure, locum sibi è mundo, Messem ex anno tolli putaret; sive denique adblandiretur infelix illa Vulgi libido, posse Imperia in Ordinem cogere, & Regibus suis leges dare; quacunque tandem de causa, Hii, quæ in Hispanum dominum suum arma sumpserant, post annos quadraginta (Quot Iliadas malorum!) deponenda sibi non judicabant, sed tanquam invisis Gladiatoribus, sine missione pugnandum. Interceſſit Jacobus, totoq; in hanc rem triennio consumpto, Herculeo plane labore evicit, ut & Hispanus veniam dare vellet, & Batavus admittere. Minimum est, quod loquor, Academici, & intelligi forsan cætera præstat (præsertim hoc tempore, hiis moribus) quam dici; Ne

vulgus audiat Regem potentiſſimum, tot Terrarum dominum, eo faſces demiſiſſe, ita deterſis quaſi majeſtatis radiis deſcendiſſe in pacis conditiones, ut cum ſubditis ſuis, Rebellium modo nomine inuſtis, æquo jure & quaſi cum libero populo inducias paciſceretur; atq; ita Julium Cæſarem Philippus largitione æquaret: ille enim totas ſimul gentes civitate Romana donare ſolitus; hic Septem Provincias una quaſi vertigine manumiſit. Sed eſto hoc inter Jacobi portenta; quod qui non laudant, admirantur tamen. Conſtabat ſane, hujuſmodi qui fœderis ſponſor & ſequeſter fuiſſet, poſſe eum elementorum pene lites componere, & diem noctemque conciliare. Advolare igitur ab Orbe toto qui diſcordiis laborabant, & Britanniarum Regis pacificam manum implorare. Cujus quidem in bellis ſedandis non minorem vim experiebantur Exteri, quam in ſcrophulis ſanandis noſtri ſentiunt.

Excitatus è Sarmatia Ruſſus, per & maris Cronii glacies montiumque Rhiphæorum nives properabat in Angliam; exoratoque, ut infenſum ſibi Suecum & arma inferentem ſua Jacobus gratia & authoritate compeſceret; ubi domum rediiſſet,

rediiſſet, docuit, errare eos qui celebratam veteribus Hyperboreorum gentem in Ruſſia collocant. Serenitatis illa, otii, tranquillitatis, felicitatis omnigenæ decantata miracula, aut nullibi aut apud Anglos, ſub Jacobo Principe, reperiri. Sed Sueco majus erat cum Dano diſſidium, neque de re nihili cernebatur. De ditionibus & (qui juxta charus eſſe debet) de honore bellum erat. Quo cum totum, qua latiſſime patet, Septentrionem concuti Jacobus deprehendiſſet, ſuum huc quoque caduceum convertit; duoſque hos potentiſſimos Principes, in Oceano glaciali, ingentium Balænarum more, concurrentes, ita prudentia ſua & pietate permulſit, ut in illo mari Balænas ipſas nautæ feruntur infuſo Caſtoreo mitigare. *Vide ſis Ortelium.*

Jamque per Europam, clauſo Jano, rire omnia, cœloque Terra non invidere. Nam ut illic Orbes & ſidera, ita hic Regna atque Reſpublicæ tacite, ſine omni aut colliſu aut murmure volvebantur. Et facilius quidem fuerit univerſa cœli benigniſſimi munera, Foſſilium, Plantarum, Animantium omnium figuras, nomina, vires oratione complecti, quam pacis hujus Jacobianæ in

maria, in terras, in Eccleſiam, in Rempub. in urbes, in agros, in literas, in mores influxum pro merito commemorare. Neque id nos in Jacobo tentabimus, quod in Eliſabetha tanquam arduum nimis conſulto vitavimus. Sufficiat ſane, earum quas hii ſibi Principes in animis hominum excitarunt, Pyramidum Baſes indicaſſe, Bellum *ſc.* & Pacem: nam vertices inter aſtra conditos nemo nec oculorum, neque mentis acie ſatis aſſequetur.

Sed utriuſque virtutem in uno quaſi faſtigio collectam, & in ſublime editam intueri qui volet, CAROLUM videat; vivam & ſpirantem amborum (ut ita loquar) ſtatuam. Quique, ut Cæſarum olim ſtatuæ, ipſos quos referebant (Majeſtatis ergo) magnitudine ſuperabant: ita majorum exempla, quæ exſcribit, illuſtriora reddat, & Auguſtiora. Quid enim Bello valeat, Gallus dicat & Hiſpanus, uno uterque tempore (res Nova) ab Anglorum Rege Terra Marique Armis tentatus. Teſtetur Mauritania, Atlantis accola & recuperata Sala lætus Maroccus. Quanto flagret Pacis deſiderio, Germania agnoſcit, quæ caput exſerens ſanguine & cineribus ſuis oppletum

tum ingemiſcit, tot ab Anglia de Concordia legationes incaſſum cecidiſſe. Macte, Rex maxime, Pace Belloque eſto! adhuc quidem foris; poſthæc, ſi fors juſſerit, domi utraque virtute conſpiciendus.

Martii 27. 1642.

FINIS.

D. HENRICI SAVILII

Τοῦ Μακαρίτου

ORATIO

Coram Regina

ELISABETHA

OXONIÆ habita.

Cum Regina ELISABETHA *Anno ſalutis humanæ* 1592, *Oxoniam inviſiſſet, etiam Scholaſticis velitationibus (intereſſe dicam, an) præeſſe dignata eſt. Senſit Univerſitas beneficii cumulum, & Comitia extra ordinem, in eruditæ Principis ac piæ Parentis honorem, die Sept.* 23. *indixit. Ibi Henricus Savilius Eq. Auratus & Coll. Mert. Cuſtos in has Quæſtiones diſſeruit; tum* Rei militaris & Philoſophiæ ſtudia in Rep. una vigere poſſe: *tum* Aſtrologiam judiciariam è civitate bene morata exterminari oportere. *Poſt quas Theſes luculenter expoſitas, idem, cum veneratione, qua par erat, ad Reginam præſentem converſus, ſic peroravit.*

Eliquæ ſunt, Auguſtiſſima Regina, partes officii noſtri maximis tuis immortalibuſque in nos, in Remp. in orbem Chriſtianum, meritis debitæ, atque conſecratæ. Patere igitur, ut id unus pro omnibu dicam, quod iſti omnes de tua Majeſtate taciti ſentiunt.

Patere tuam in obtinendo imperio felicitatem, in conſtituendo ſapientiam, in tuendo fortitudinem, in adminiſtrando conſtantiam, cæteras virtutes tuas, quæ omnium gentium literis & linguis commemoratæ ſunt, tuorum quoque, ad quos tantarum virtutum fructus propius pertinet, voce celebrari. Cum eſſent omnia, fato quodam ſuperiorum temporum, plena ſuſpicionum domi; foris bellum certum, aut pax infida: cum in oculis, in viſceribus noſtris hæreret, ex illo infelici conjugio contractum, pertinax malum, Hiſpanorum dominatio: cum effuſum eſſet ærarium, imminuti fines imperii, præſidia milite, arces tormentis denudatæ; in his tot tantiſque difficultatibus, eluxit tua ſingularis, ac verè divina ſapientia, Diviniſſima Princeps. Gladium, in illa rerum mutatione, ac tranſitu, vagina vacuum Anglia non vidit: vidit plauſus, clamores, exultationes, omnium ordinum, ætatum, hominum, niſi quibus expediret eſſe malum principem, hoc eſt, quam diſſimillimum tui. Tu Hiſpanos à capite, à cervicibus noſtris, aut invitos depuliſti, aut remiſiſti volentes. Tu publicam fidem, anguſtiis ærarii vacillantem prædiorum tuorum, rerumque

que pretioſiſſimarum venditione levaſti. Tu oppida amiſſa, pactis conventis, quod in te fuit, recepiſti: obſidum fuga, & quorundam perfidia, quod præſtare non poteras, perdidiſti. Cumque tuæ caſtiſſimæ puriſſimæque menti nihil placeret fallax, nihil fucatum, tu, nummis adulterinis ſublatis, commercia revocaſti, fidem reſtituiſti. Tu religionem, majorum incuria collapſam, aut ipſo tempore deſidentem, incredibili animi fortitudine renovaſti, communeq; aſylum omnibus gentibus aperuiſti: neq; dubitaſti nova princeps, cum omnes propinquæ nationes propter veteres inimicitias eſſent infenſæ, longinquarum quoque odium hac novitate provocare. Ab his initiis profecta, ſediſti deinceps belli paciſque arbitra inter reges Chriſtianos regina: qui à factioſis civibus vexati, aut potentiorum injuriis per vim pulſi, in tuo conſilio, armis, opibus acquieſcunt. Teſtis Valeſiorum familia, quorum infantiam conſiliis tuis rexiſti, ferociam mitigaſti; domumque ruentem, quantum in te fuit, ſuſtinuiſti. Teſtis illuſtriſſima hæc Borboniorum, qui tuis unius freti armis, nixi pecuniis, non alia re magis, quam majeſtate nominis tui ſtantes, te parentem agnoſcunt, te deam venerantur.

Teſtis Luſitania, cujus regem extorrem ejectumque liberaliſſimo hoſpitio accepiſti. Teſtis Germania, Dania, Suecia: quæ tuo nutu arma ſumunt, ponuntque. Quid Chriſtianos dico? cum ipſi Turcarum imperatores, quibus, ante hujus beatiſſimi ſeculi lumen, ne nomen quidem hujus inſulæ unquam fando auditum, tui reverentia nominis arma abjecerint, pacemque Polonis, jam ad ultima redactis, te interveniente, conceſſerint. Dixi de ſingulis fere partibus: nunc de univerſo orbe Chriſtiano. Cujus cum maxima pars, aut hæreditate relicta, aut affinitatibus comprehenſa, aut armis devicta unius juſſu regeretur: cum Galliam per emiſſarios, Turciam per mercenarios obtineret: cum Germania partibus, Polonia bellis diſtineretur: cum omnes omnium gentium principes, proceres, aut ſocordia negligerent, aut timore abſcederent, aut avaritia inclinarent, qua junctis nuper Orientis & Occidentis opibus aurum præponderabat, cum aucta, ut fit, ex proſperis cupiditate, animus haud obſcure adjectus eſſet ad imperium univerſi, omniaque, nemine impediente, in unius finum caſura viderentur: hic tua divina virtus enituit, hic invictum animi robur, cum

ſapientia

ſapientia ſingulari. Quæ oppreſſis primum domeſticorum inſidiis, (Quod dii prius omen in ipſum!) rupto fœdere Burgundico, quod ipſe, immiſſo in tuam provinciam latrocinio, prius ruperat, receptis in ſocietatem Belgis, ampliatiſque imperii finibus tot urbium acceſſione, bellum terra marique, pro ſalute omnium ſuſceptum, ſola geſſiſti. Quod cujus manibus adminiſtratum ſit, non quæro, cum videam tuis auſpiciis, tuis conſiliis provincias adjunctas, urbes captas, naves direptas, claſſes depreſſas, non hoſtium fines, ſed urbem, ſedem imperii, tuis ſignis appetitam, obſeſſam, oppugnatam. Tuis conſiliis Indiæ, quanta terræ totius pars, quantula tuorum manu, quam incredibili celeritate, victoriis peragratæ! Tuis, tuis intelligo (quid dicam) conſiliis, tabulis armiſque completa omnis hæc Oceani ora, conſtrata cadaveribus littora: Tuis auſpiciis Hiſpania Anglum non vidit niſi victorem, aut victoriæ immortuum, Anglia Hiſpanum niſi captivum. Itaque ſtant tuorum objectu armorum, tuorum oppoſitu laterum quot ſunt in Europa regna, principatus: ipſique adeo Pontifici, nominis tui infenſiſſimo hoſti, una cum cæteris, abſque tuis armis, vel ſer-

viendum fuit, vel pereundum. Bonitatem, clementiam, juſtitiam, æquitatem, iſta pervulgata, ac prope decantata, in tanta principe referre, regiarum & heroicarum virtutum, quæ in Majeſtate tua elucent, injuria fuerit. Ne id quidem attingam, quæ mala, quam conſtanti animo privata pertuleris, quæ tamen & gratiorem præſentis felicitatis ſenſum attulerunt tibi, tuiſque civibus certiſſimam ſalutem; principem habere, quæ & ſemper cogitet, crebriſque ſermonibus uſurpet, quid aut noluerit ſub alio principe, aut voluerit. Illa commemorabo, quæ vulgo minus nota, non minus certe mirabilia ad laudem. Te, cum tot literis legendis, tot dictandis, tot manu tua ſcribendis ſufficias: cum conſiliariorum tuorum, in minimis etiam rebus, ſententias dijudices: cum privatorum precibus, principum legationibus per te reſpondeas, de ſubditorum quoque privatis controverſiis ſæpiſſime cognoſcas: in iſta tamen diſtrictiſſima vita, non principum (quorum aliæ ſunt noſtris moribus artes) ſed penè mortalium doctiſſimam evaſiſſe. Te magnam diei partem in graviſſimorum autorum ſcriptis legendis, audiendiſque ponere. Neminem niſi ſua lingua tecum loqui: te cum nemine niſi ipſorum,

ipſorum, aut omnium communibus Latina, Græcaque. Omitto plebeios philoſophos, quos raro in manus ſumis: quoties divinum Platonem animadverti tuis interpretationibus diviniorem effectum? quoties Ariſtotelis obſcuritates, principis philoſophorum, à principe fœminarum evolutas, atque explicatas? Dicerem libere, nemini unquam ad ſacratiſſimam Majeſtatem tuam aditum patuiſſe ſemidocto, qui non ex tuis ſermonibus diſceſſerit doctiſſimus, niſi meæ vehementer me pœniteret tarditatis, qui in tam illuſtri ſchola tam parum profecerim. Itaque literas, literatiſſima Princeps, tuere ac protege: id eſt, nobis, qui hic vivimus, noſtra privilegia, illis, quos emiſimus, ſuam dignitatem, ſua præmia in republica, in Eccleſia, quod facis, conſerva. Academiam utramque novis immunitatibus munire, novis legibus fundare perge. Utraque à te ornata, in te ornanda certabit, cæteroqui omni genere laudis pares, hoc noſtra fœlicior, quod tuos vultus iterum intuetur, in cujus oculis habitant Gratiæ, in fronte benignitas, in ore Majeſtas, in pectore ſapientia, in manibus liberalitas, in toto corpore pulchritudo & venuſtas digna principe, digna tantis prognata

gnata principibus, digna imperio: ut tecum jam propè, parens Natura, redeamus in gratiam, quæ cum parem, effusis hic viribus, procreare non posses, neminem voluisti ex tanta principe disparem supereſſe.

FINIS.

AD

REGEM

E

SCOTIA REDVCEM

HENRICI WOTTONII

Plausus & Vota.

CAROLINO
CORNUBIÆ DUCI,
CESTRIÆ COMITI &c.

HENRICUS WOTTONIUS

Seros Dies.

CELSITUDINI *Tuæ, tenellæ adhuc Ætatis, insequentes* PLAUSUS ET VOTA, *Quæ PARENTEM Tuum, Optimum Regum e SCOTIA Reducem exceperunt, non inconsulte Dedico. Ut, postquam Literis (Avito jam Decore) imbutus fueris, ex hac quantulacumque Commentatiuncula, Gazam haurias, Triplici*

plici DIADEMATE *Splendidiorem: Nempe* HÆREDITARIAM VIRTUTIS IMAGINEM.

A D

AD

REGEM

E Scotia Reducem *Henrici Wottonii* Plausus & Vota.

Augustißime CAROLE Rex & Domine.

ANtiquitus mos erat apud humaniores Gentium, quoties Justo Bonoque Principe fruebantur, Ne muta felicitas in pectoribus torperet, affectus & gaudia Præconiis, Votis, Plausibus effundere; Præsertim si quæ Nobilior occasio acclamantium Voces eliceret. Cujus ego tam sancti moris æmulatione quadam raptus, discusso circa præcordia frigore, quod gravior jam ætas invexerat, ad celebrandum hanc Diem, qua Te nobis, Nosque nobismetipsis restituis, flagranti fiducia

plici DIADEMATE *Splendidiorem: Nempe* HÆREDITARIAM VIRTUTIS IMAGINEM.

A D

A D

REGEM

E Scotia Reducem *Henrici Wottonii* Plausus & Vota.

Augustißime CAROLE Rex & Domine.

ANtiquitus mos erat apud humaniores Gentium, quoties Justo Bonoque Principe fruebantur, Ne muta felicitas in pectoribus torperet, affectus & gaudia Præconiis, Votis, Plausibus effundere; Præsertim si quæ Nobilior occasio acclamantium Voces eliceret. Cujus ego tam sancti moris æmulatione quadam raptus, discusso circa præcordia frigore, quod gravior jam ætas invexerat, ad celebrandum hanc Diem, qua Te nobis, Nosque nobismetipsis restituis, flagranti fiducia

accedo. Adeo enim propria dicendi Imbecillitate non deterreor, ut parum abſit quin eo me magis idoneum æſtimem: Quippe, quid opus eſt Rhetorico apparatu? Cur anxie nimis Verborum pondera expenderem? Sufficiet hodie ſimpliciter gaudere. Sinceritas rudis ac impolita res eſt, quo incomptior eo alacrior: Et Facundia, dum ornat, corrumpit lætitiam. At neque id metuo, ne hoc officium blandientis videatur, & quaſi ad Fortunæ Genua ambitioſe projecti; quod ſane indignum foret ingenuo pudore, quem à Parentibus; Indignum beata Mentis requie, quam ex honeſtis ſtudiis hauſi. Unica tamen, fateor, in ipſo limine Me circumcingit ſollicitudo: Nimirum, ne Verecundiam illam, qua Majeſtas Tua cæteras Virtutes ſuaviſſime condire ſolet, etiam veris laudibus offendam. Nam cum ad alia omnia Fortiſſimus ſis, quæ aut corporis Robur, aut Conſtantiam animi poſtulent; ſolum vereor, ne hodiernos applauſus & Elogia, quo juſtius debentur, eo mollius feras.

Legimus *Germanicum* (At quantùm Virum!) paulo ante Prælium in *Chattos*, ferina opertum pelle ne noſceretur, appropinquaſſe noctu militum Tabernaculis,

culis, ut conceptam de ſe Opinionem in tenebris ſubriperet: *Adeo proprias plerumque Laudes tenerrime excipiunt, qui maxime merentur.* Unde ſatis prævideo quam neceſſarium ſit, ut ad ſacras tuas Aures Argumentis, non ex levi Oratorum officina, ſed paulo ſeverioribus, aditum præmuniam. Dico igitur æquiſſimum eſſe, ut neque pulchræ Principum, nec deformes Vitæ, ignobili ſilentio premantur: Sed Boni Pravique, eadem ſcribendi, qua vivendi Libertate, Nec minore Veritatis, quam Majeſtatis, Reverentia, ad poſterorum notitiam juxta tranſeant: Illi quidem, Ne, ſubductis Virtutum Exemplis, Virtutes ipſæ paulatim deficerent: Hi vero, ut ſoluti Legum vinculis aliquo ſaltem Annalium metu temperentur. Hoc auſim Tibi dicere, Præſtantiſſime *Domine*, Et hoc ipſum quod auſim *Tibimet-ipſi* debeo; Qui Trigintatres jam Annos Ita vixiſti, Ita novem fere regnaſti, ut Verum non timeas. Clariſſima erat olim, & æternum Vivet, Virginii Rufi ad Cluvium reſponſio; *Scis* (inquit) *Virgini, quæ Hiſtoriæ Fides debeatur: Proinde, ſi quid in Hiſtoriis meis legis aliter ac velles, Ignoſcas rogo. Cui Virginius. Cluvi, næ tu ignoras ideo me feciſſe, Quod feci, ut eſſet vobis*

vobis liberum Scribere, quæ libuiſſet. At hæc fuit Inclyti quidem, ſed privati, Hominis ſecuritas. Quanto magis exultet hæc dies ob receptum Regem, de cujus Vita Moribuſque apertiſſime ſimul ac tutiſſimè loquamur. Quin & confidenter hoc adjiciam; Si prima *Architectrix* NATVRA ipſa Pectus *Tuum* (ut Verbo *Vitruviano* utar) feneſtraſſet; Si omnium oculos, non ſolum intra Secretiores Cubiculi parietes, ſed ad intimos Cordis receſſus admitteres, Nihil omnino aliud appareret quam Splendor Boni, & Imperturbata Virtutum Serenitas. Quid dixi, Si admitteres? Ac ſi poſſent, Quos hic Supremum NUMEN in Sublimi & Lucido poſuit, ex Oculis eripi, Et *Vitæ* vel *Imperii* rationem, quaſi prætenſis Nubibus, occulere. In hoc quidem Obſcuritas & Ipſa ſolitudo eſt Majeſtate tectior. Putatne ille *Abiſſinorum* Imperator, quem ferunt quotannis ſemel palam conſpici, eo minus noteſcere quid clanculum fiat? Annon etiam hodie ſcimus *Domitianum* olim in ſecreto Horario, quo ſe indies ſecluſit, nihil aliud quam præacuto ſtylo *Muſcas* confixiſſe? Num *Tiberius* in Capreenſi ſeceſſu delituit? Cum inter tot Vulnera & Laniatus Conſcientiæ (queis tanquam

quam Furiis agitabatur) multa quotidie divulſæ Mentis indicia erumperent? Non certe. Majeſtas Tua & ſui Temporis, & venturi Principes unicam ſolum & ſaluberrimam ſe celandi Artem docuit, quod nihil celandum moliris. Sunt quædam Animalcula ingrato aſpectu, velut Noctuæ ac Veſpertiliones, quæ natura ad Lucis Odium damnavit: nonnullos etiam Potentium fuiſſe ſcio, Qui inter Imperii Arcana & pro magno Verſutiæ Myſterio habuere, è longinquo coli; Ac ſi Reverentia in Speluncis tantum & Crypteriis, non in aprico habitaret. Unde hæc Regendi *Sophiſmata*? Paucis dicam ac liberè. Per obliquos tramites incedebant quia neſciverunt (breviſſimam Viam) eſſe *Bonos*. Tu autem non Subditorum lumina & acceſſus fugis: Non abdito gaudes: Non te tuis ſubtrahis: Non rigido & obducto Vultu falſam Venerationem captas. Immo interdum etiam ad Comitatem quandam deſcendere non gravaris, dignitate, illæſa. Sic enim in limpidiſſimo ſinu tecum reputas, *Si non eſſet ſupra poteſtatem noſtram latere poſſe, at eſſet infra Bonitatem latere velle.* Qua certe nihil demum eſt popularius: Quippe Bonos Reges Boni omnes apertè, ſed & improbiſſi-

mi tacite venerantur, Dum Virtutis pulchritudo, non ſecus ac inſolitum aliquod Jubar, vel nolentium oculos perſtringit. Quare cum nuper in manus *TRANQVILLVM SVETONIVM* ſumpſiſſem (qui ipſa *Cæſarum* Viſcera denudavit) ad fallendam, dum aberas, literato aliquo diverticulo, ingratam dierum longitudinem: & in illum forte locum incidiſſem, quo tam graphice deſcribitur *Auguſti* ejulatus, in *Variana* Clade crebro vociferantis, REDDE MIHI, QUINTILI VARE, LEGIONES MEAS; Illico exardebat *Tui* Deſiderium, & vota pro reditu incaluere. Multo enim tum juſtius viſum eſt, *Angliam* debuiſſe *SOROREM* ſuam anhelantibus ſuſpiriis laceſſere, quam Auguſtum QUINTILII Manes: *Redde mihi, Scotia Soror, Regem noſtrum: Redde Optimum Virorum: Quem nemo niſi malus non amat, nemo niſi ignarus non laudat. Redde Morum Rectorem, ſimul & Normam: Quo non ſolum lætiores, ſed & Meliores ſimus, dum propius contemplabimur (quod rariſſimum eſt) in ſummo Faſtigio minimæ Licentiæ Exemplar.* Cum itaque Talis ſis (*optime* REX) ſupplex, permittas, rogo, ſi precibus quam Argumentis flecti malis, ut novem (Tot enim computo)

computo) discreti Sermonis Populi, quorum habenas moderaris, TE Talem esse glorientur. Idque prædicent non vernaculo solum cujusque Idiomate (quod gaudiis quidem nostris angustius foret) sed communiori hac qualitercunque Lingua, ut & Exteri sciant, BRITANNIAM *Tuam*, quæ olim primum *Orbi Christiano* & maximi nominis Imperatorem dedit, non adeo exaruisse quin & hodie etiam laudatissimi REGIS TYPUM exhibeat.

Jam aliquantulum præmollita, uti spero, ad audiendi patientiam via, dehinc juvabit quædam ex toto hactenus *Vitæ tuæ Morumque* habitu quasi carptim delibare, eorum more qui Flores legunt. Etenim delectu magis rerum quam ubertate gestio: quanquam non ignarus, adeo profusam fuisse Veterum in hoc Dicendi Genere aut Diligentiam aut Ambitionem, ut non inscite forsan TIMÆUS dixerit, ALEXANDRUM Macedonem citius omnem ASIAM subegisse, quam ISOCRATES Panegyricum scripsisset. Enimvero, Arti tunc nimis indultum videtur, dum in feraci Eloquentiæ sæculo lasciviebant Rhetorum Ingenia. At Me decet, Simplicitatis simul nostræ ac Senectutis memo-

memorem, Summa potius ex Encomiis Tuis attingere, quam ſingula perſequi; ut ipſa orationis brevitas velut elabentium Annorum fugam imitetur. Cæterum ante alia ſeſe offert Eximia Ortus Tui Nobilitas: Qua in longa Antecedentium REGUM ſerie cunctis, ne ipſo quidem PARENTE excepto, præluces. Id paucis clarius deducam. Atavus Tuus HENRICUS *Septimus* (Felicior an fortior neſcio) *Rubellam Albamq;* ROSAS, duarum præpotentium Familiarum Inſignia, per ELISABETHÆ EBORACENSIS *Connubium*, Exul fere ſimul & Victor univit: quæ divulſæ Patriam tot annos infeſtis Odiis & Cruore polluerant.

Beatius Regnorum quam Roſarum vinculum *Parentis Tui* Auſpiciis debemus, vel ob id ſolum non ſine ſumma Veneratione memorandi. At in *Te* unico (*Auguſtiſſime CAROLE*) omnium poſt Romanos, omnis Ævi Nationum, quæ *Britanniam* per jus aut Arma poſſederunt, confluxit gloria. In *Te*, inquam, Unico; quem primum CAMBRICI, ANGLO-SAXONICI, SCOTICI, NORMANNICI, ac DANICI demum, Germinis SVRCVLVM ex hactenus Coronatis agnoſcimus. In hoc fortaſſe, (ſi Comparationis Vilitas non ſpernatur) Celeberrimo

Europæ

Europæ ISTRO non abſimilem, quem per immenſa ſpatia devolutum tot illuſtrium Alveorum Undæ nobilitant.

Scripſit inter noſtrates haud obſcurus Author, non prius *Majores* noſtros legitimum in Anglia *Normannorum* Imperium agnoviſſe, (quod tam ægro initio laboraverat) Quam MATHILDIS HENRICO Primo enupta, Sobolem ex Antiquo *Saxonicorum Regum* Sanguine, in hanc lucem protuliſſet. Erat autem illa DAVIDIS, ETHELREDI Regis Abnepotis, ex progenitoribus *Tuis*, *SOROR*. Quanto nunc ſplendidior Cauſa *Majeſtatem Tuam* omnibus Ulnis ambiendi, qui ex tam multiplici Imperantium proſapia, ad *Nos* defluxiſti? Poſtquam & *Cimbrici* Sanguinis Vetuſtiſſimi, Additamentum cæteris Decoribus acceſſit, ex ANNA Matre Virilis Animi HEROINA. Et quanto nunc verius repetamus, quod ſuperiori Ævo *Buchananus* feliciſſimi poſt Antiquos Ingenii Vates, Aviæ Tuæ (utinam feliciore Fato!) cecinit

Miſſa per innumeros Sceptra tueris Avos.

Sed hæc quidem hactenus vix tua reputas: Ad propria tranſeo, quæ non minus illuſtrant quam illuſtrantur.

Tria animadvertimus, *Optime REX*

(qua

(qua appellatione iterum libenter & ſæpius utar) in Primordiis Tuis ad inſequentes progreſſus haud levis momenti (ut fere ſemper incrementis inhæret Principiorum ſapor.)

Primum, quod non in ſupremam Imperii ſpem natus es. Unde adulatio (quanquam velox & Vigil Malum) quæ ipſa Summorum Hæredum Incunabula circumſtat, mollioribus Annis Tuis ſegnius incubuit: Et propria interim Indoles, ſimpliciore hauſtu, generoſum Honeſti Succum imbibebat. Nam certe in formandis & quaſi (ut ſic dicam) inſtillandis privati cujuſque, nedum Principum, primævis propenſionibus, Reipublicæ multum intereſt; Cujus non ſolum Fulcimina, ſed & ſimulacra ſunt futuri.

Alterum, quod *Fratri* ſucceſſiſti non modicis quidem Naturæ Dotibus. Unde *Parentum* exhinc ſolertior & contractior Sedulitas (curam enim excedebat) circa Unici Filii Ornatum. Quin & *Tui* ipſius erectiores indies ſpiritus, Cum Tantæ jam expectationis Onus in *Te* ſolum recidiſſet. Tum admoti qui Ætatem illam nondum Negotiis aptam, Literis fideliter imbuerent: Tum acciti qui *Te*, paulatim creſcente robore, Equeſtribus Exercitiis Polirent. Quæ

Memini

Memini quam decora dexteritate in primo Juventæ agitabas: Donec poſtea in frequenti Haſtarum decurſione, neſcio plus ſpectantibus Gaudii, an Pavoris, injiceres.

Tertio in Mentem venit quod aliquandiu, quaſi luctante Natura, Corporis Artubus paulo invalidior eras, & Vigori longe Impar quem nunc lætantes ſtupemus. Quod equidem ſecretioris Providentiæ Conſilio contigiſſe autumem, quo intentior tum eſſet ingenii excolendi Cura; ut Hæredem Regis clam futurum decuit; Quem omnium poſt multa ſæcula, Principum Sapientiſſimum, ne Maligni quidem negant.

A primitiis Tuis ad robuſtiora propero, promiſſæ Brevitatis non oblitus.

Poſt Peregrinationem, variis Caſibus obnoxiam, ad Coronam perveniſti: Unde conſtat quantum ipſemet tum auderes, cum Omnes Interim Domi, *Tui* cauſa trepidarent. Sed Cœleſtis Favor *Te* nobis Incolumem reduxit, & ne tinctum quidem Exoticis Coloribus: velut alterum ULYSSEM, cui ſatis erat (vel HOMERO *Teſte*) cognoviſſe Mores Hominum & Urbes.

Adſumpto *Diademate*, emicuit ante alia Religioſus Animus, Regnorum Columen

lumen, Bonorum Gaudium. Sacellum Regium nunquam ordinatius. Auctior indies Insignium Theologorum numerus. Conciones nullo unquam ævo frequentiores, nullo Doctiores: Et Exemplum Principis, Concionibus Validius. Nulla ex Ore execratio temerè prodiit. Ab omni paulo lasciviori, nedum sordido sermone, Aures abhorrebant; qui sub EDOARDO *Quarto* fortasse, cum Vagi Amores regnarent, pro *Aulica Elegantia* habebatur. Nec intra Palatii parietes Pietas stetit; sed per Regnum diffusa. Intacti Ecclesiæ reditus. Templorum hinc inde jacta Fundamenta. Collapsus passim restituti. Et quod præcipue posteri loquentur, Pientissimo *Tuo*, monitu excitatæ Regni Opes, ad restaurandam Ædem Apostolo Gentium Sacram, quæ passa erat Temporis injurias; omnium Orbis Christiani (Quis dubitet?) pari vetustate Ampliſſimam. Ubi effulsit Majestatis Tuæ cura, in demoliendis Privatorum Ædificiis, quæ tam visendi operis faciem dehonestabant: Nec minus in administratione totius Negotii imposita Vigilantissimo Præsuli, qui ob spectatissimam Fidem & Judicium, nuperrime altiora meruit.

Jam post Deum, Quam tenero erga Subditos

Subditos affectu? Cum Contagio graſſaretur, ad publica Jejunia, Juſſu *Tuo*, recurſum. Cum Inediæ majori Metu, quam malo, premeremur, Annonæ flagellatores aperire Horrea coacti, lenitis Frugum pretiis.

Inter has ſanctiores Curas non omiſerim, Providentiæ *Tuæ* peculiare Præconium; cujus Origo paulo altius repetenda.

Enatæ ſunt foras ante aliquot Annos, aut forte ex antiquo recruduerunt, Controverſiæ quædam, circa ſublimes *Fidei Articulos*, quæ cum ad nos quoque tranſvolaſſent, (ut facile ſe diffundunt Ingeniorum Flammæ,) ne hic etiam Pulpita & Calami, cum Inquietudine publica incaleſcerent, *Majeſtas Tua* per *Edictum*, laudatiſſima temperie, omnem utrimque Diſceptationem compreſſit. Sentiant Alii quid velint; Meo Arbitratu (ſi Verbo ſit venia) *Diſputandi pruritus eſt Eccleſiarum Scabies*. Referam quod mihi contigit obſervaſſe non ſemel. Duos nempe de *Re* quapiam acerrime diſceptantes, donec utroque ex alio in aliud Contentionis æſtu abrepto, Ambo tandem primo *Charitatem*, deinde etiam Veritatem amiſerant. Quo procederet irrequietum Acumen, niſi premeretur?

Nullus eſt finis Argutiarum. Sed mature Obviam itum eſt.

His Pietatis Laudibus ſubjiciam Ingens Gratitudinis, Ingentius fere Conſtantiæ documentum, erga GEORGIUM VILLIERIUM *Buckinghamiæ Ducem.* Quem, cum inter *Hiſpanici* Itineris Diſcrimina, lateri *Tuo* præcipuus comes adhæſiſſet, Domi poſtea per omnes utriuſque Fortunæ Scopulos, quaſi repenſa vice, tuto circumtuliſti: donec improviſum Diem clauſit. Vidimus etiam non leves Favoris *Tui* Radios in Alterum ex Fidis comitibus, ſolertis Judicii Virum conjectos.

At hæc non ſolum inter argumenta Animi Fidelium Officiorum memoris (quod vere Regium eſt) recenſeo; ſed & ſingularis erga Parentem etiam defunctum obſequii, cui *Buckinghamius* tot Annos in deliciis fuerat: Ac ſi Majeſtas *Tua* ſeſe tam Affectuum ejus, quam Regnorum Hæredem reputaſſet: Raro inter Omnium Sæculorum memorias Exemplo. Erat ſane Dux ille ob multa Amabilis, eademq; rariſſime conjuncta. Singulis Corporis Artubus quaſi affabre compoſitus. Forma tamen, an Venuſtas ſuperaret, incertum. Animo autem haud dubie intrepido. Impoſitis,

tis, adſumptiſve Curis æque intentus. Aderat, tot negotiis diſtricto, incredibilis Temperies & Æquabilitas. Appetitum Gloriæ haud negaverim, quem generoſi Spiritus tardiſſime deponunt. At quod ſuper omnia ſuaviſſimum; nulla Morum auſteritas. Nihil in externo tumidi, Sed Obvius, Affabilis, & cuique fere Expoſitus: Ac ſi in tanta Fælicitate, vix Fælicitatem ſuam ſenſiſſet. Quo vel uno meritus videatur, ut mollius decumberet.

Pollere poſt hæc incepit Principibus Majeſtatis Tuæ Curis, indieſque pollet, quo probatior eo acceptior, Vir ſane moderato vitæ Habitu, & graviſſimi Conſilii: ac tramiſſis Inanibus, ad ſolidam Prudentiam natus. Quem nominare Injurioſum foret: Nam qui ingenue deſcribitur, ſine Nomine intelligatur.

At merito Supremum in affectus Imperium, ſibi ſoli vindicavit Digniſſima *Regalis Thalami* CONSORS, ipſa etiam longo *Regum Stemmate* oriunda, Sed ſatis eſt dicere MAGNI HENRICI FILIA, ac JVSTI LVDOVICI SOROR. Quam ob chariſſima jam utriuſque Sexus Pignora, ob Caſtiſſimæ Venuſtatis Decus (& quod Conjugale Vinculum maxime beat) ob congruos

congruos Mores, adeo Sancte & unice amas, ut merito videaris ex Optimi *Patroni*, in Optimi *Conjugis* Titulum transiviſſe. Caſtimoniæ, Temperantiam adjunxiſti, cognatam comitem: quas inter Impotentes & Miſeros, quis non tacitus præteriret? Sed in Rege, in Juvene, tam vegetæ Ætatis; & in tanta ad omnes Appetitus explendos promptitudine, laudemus magis an miremur, neſcio.

Jam poſt hæc Elogia, quæ partim Amorem, partim etiam Stuporem conciliant; De Temporis *Tui* Juſtitia vel dubitare, injuſtiſſimum fuerit.

Non pigebit tamen paulo fuſius repetere rem in obſcuræ ſortis *Homine*, illuſtriſſimi Exempli. Contigit *Londini* neſcio quis Tumultus, ob quendam ex Apparitorum manubus ereptum, qui alieno ære obſtrictus in carcerem ducebatur: ubi inter confuſos Animorum motus unus aut alter (ut ferme fit) fortuitis vulneribus periere: unde *Johannes Stamfordius* quidam, Vir manu promptus (qui ſe his Turbis fataliter immiſcuerat) pro Homicidii reo, in Vincula conjectus eſt. Non caruit apud *Majeſtatem Tuam* Interceſſoribus magni Nominis; Et certiſſima jam effulgebat

fulgebat (ut in vulgus credebatur) impetrandæ Veniæ Spes, quia *Buckinghamiæ Duci* à Cubiculo fuerat & inter ſuæ Conditionis Clientes, Hero aliquandiu gratiſſimus ob Eximium Corporis Robur & luctandi peritiam. Cujus tum etiam recens adhuc Memoria: quod miſellum fortaſſe Audaciorem fecerat. At neque ſuperſtitum Preces, neque Viri ipſius notiſſima Fortitudo, Nec denique tam dilecti nuper Capitis, cujus in Clientela fuerat, recordatio, apud *Majeſtatem Tuam* Juſtitia prævaluere; Quin (magnum dictu!) Laqueo Vitam finiit.

Recentior eſt Memoria Supplicii, quod *Baro* pervetuſtæ Proſapiæ palam paſſus eſt ob facinus natalibus ſuis Indignum. Sed ſi vetus ingenioſi Autoris obſervatio adhuc valeat, *Quædam eſſe Clariora, quædam Majora*; Equidem *Baronis* Clarius Spectaculum, ſed *Stamfordii* Majus crederem.

At quo me rapit, dum hæc revolvo, non inſuavis quædam Meditatio? Habet *Majeſtas Tua* in ſtricti Juris Tribunalibus, Idoneos Judices, Qui rigidius pronunciant. Habet etiam conſultiſſimum Æqui Bonique antiſtitem, antiquis Prætoribus parem. Qui, pro Populi levamento,

mento, ſeveriora emollit. Sed hi ſeorſim, diſcretis Soliis locantur. Si quis forte quærat, cur non ſimul, quod expeditius videatur? Dicam quod ſentio. Exoptabant *Majores* noſtri, ex graviſſima quidem Providentia, *Juſtitiam* ac *Lenitatem*, quæ in Magiſtratu inferiori divulſæ ſedent, in ſolo *Supremi* Pectore Sociatas. Et ſane ſic eſt. *Majeſtas Tua* velut ad Majorum deſiderium compoſita, Has adeo temperate commiſcuit, ut neque Mali audeant, neque doleant Boni. Hactenus intelligi velim me ſolum de Communibus quaſi Flagitiis coercendis loquutum, quæ ubique Terrarum pullulant: nam de Atrocioribus apud nos (Divino Beneficio) ne Verbum, Imo, ne Somnium quidem. Laboramus excellenti ignorantia. Neſcimus quid Perduellio, quid contra ſalutem publicam Machinator, quidve illud ſit, quod *Grammatici* Læſam Majeſtatem vocant. Cum rebus ipſa vocabula obſoleverunt. Nec mirum quidem. Quis enim, niſi omnium mortalium ſtupidiſſimus idem & Sceleratiſſimus, parique prorſus Vecordia ac Nequitia, tam Juſti Piique MODERATORIS quietem violaret?

Jam ut Juſtitiam (quam Imperii *Tui* ſanita-

ſanitatem dixerim) æquiſſimo libramine tueris, hoc eſt, neque tenſis nimium, neque laxatis nervis: Ita nec omittis quæ ad Securitatem ſpectant. Idem enim alioquin Imperiis, quod corporibus noſtris, contingeret: quæ periculoſe ſubſiſtunt, ubi ſola valetudine, ſuſtinentur. Quare poſt Bellum cum duobus ſimul Potentiſſimis Regibus, eventu (ut in Humanis fit) vario, per nova utrimque Fœdera conſopitum; Princeps Domi Cura erat de maritimo Robore reſarciendo, ut Inſularium Regnorum TUTOREM decuit. Unde Claſſis Regia quotannis Auctior & Inſtructior: Item, Commodiores navibus Stationes dilectæ, & promptiore ad fortuitos Caſus exitu: *Majeſtate Tua* non ſolum jubente, ſed & propriis Oculis ipſa loca ſubeunte: Ac ſi in re tanti momenti, vix alienis crederes. Deinde accuratior quam unquam antea, Armorum luſtratio; & in univerſum exercitatior, ſtatis Temporibus, Militia.

Inter hæc, Incivile eſſet ſilere quod Prudentes Temporum adnotarunt, *Majeſtatem Tuam* Conſultis (ut vocant) de Statu, frequentius intervenire, quam ſuperiorum Quenquam *Regum*. niſi forte ad EDOARDUM Sextum oculos

refle-

reflectamus, quem ferunt etiam Puerum raro abfuiſſe.

In illo *Concilii Tui Cœtu, Supremi Præſules* Reverentiam, Ex utroque *Regno ſelecti Proceres* Dignitatem, adjungunt. Sunt quos exterarum Rerum uſus, Sunt quos Municipalium Legum Peritia, exornat. *Et Secretariorum* Erudita, Fideliſque Sagacitas accidentibus invigilat. Sed ſuper hæc, Ipſa *Domini* præſentia neſcio quid ſalutiferum ſpirat. Parum eſt quod dixi, Præſentiam ſolum. Imo ex iis qui Conſilia Tua participant (non omnino, fateor, incurioſus, ignoſcas rogo) ſæpius accepi, quam attente, quoties intereſſe libet, propoſita revolvis: Quam patienter auſcultas; Quam acri Judicio ſingula quæque expendis; Quam pertinax ſis (non enim utar molliori voce) ubi Bono, Quam Strenuus ubi Magno Animo opus ſit. Denique in Secretioribus Negotiis, quam reſtrictam Taciturnitatem imponis, & quam ſevere exigis. In hoc quoque, Exemplo proprio præmonſtrante quod jubes. Quippe præter alia, Duo quidem *Majeſtas Tua* beatiſſimo nexu copulavit: Nimirum, *Nullus uſquam Principum, poſt Conſtituta Imperia, natus eſt Secreti tutior Cuſtos; Et tamen cujus Secretum & Silentium*

tium minus timemus. quod de Optimo Viro *Julio Agricola* dictum olim legimus, qui *Romanorum Primus*, CALEDONIÆ *tuæ* Limbum invaſit. Quippe *Majeſtas tua* non introrſus & inſinu fovet immanſuetas & ſubdolas cogitationes ; Non offenſionis ſcintillis incubat donec exæſtuent: ſed Celſo & Nobiliſſimo Candore, ſi quæ concepta fuerint, recludis, &, ut ſic dicam, exhalas. Enimvero in nulla, fateor, Virtutum Tuarum reverentia lubentius hæreo, quam in hoc ipſo Heroicæ Ingenuitatis Elogio. Nam ut ſummus ALTISSIMI Character Veritas eſt, Ita quid ſuam in Terris Imaginem REFERENTES, magis quam ipſa Veracitas condeceret, aut magnificentius veſtiat?

Vidimus Hactenus erga Parentem obſequium ; In Amicos Conſtantiam ; In Conjugio Fidem ; In fovenda Republica non Regis ſed Patris Affectum. Nec inter hæc, pro conditione Temporum & perplexo Rerum Statu, neglecta erga Sororem Unicam Optimi Fratris Officia, quæ mihi ſemper viſa eſt ſola ſui Sexus omnibus malis major, & ipſa obſcuritate illuſtrior, & quidem *Intra Fortunæ Sortem ſed extra imperium poſita*, quam quantum ames, imo quantum

æſtimes ex nupera Legatione patuit, cum in graviſſimo *Viduæ* luctu, deferendo ſolatio primorem è nobilibus & priſcis ipſum virtute ac moribus virum, ablegares: ut amantiſſimæ Legationi, ex ipſo Legati delectu, aliquid etiam dignitatis accederet. Hoc de Solamine.

Quod ad ſubſidium ſpectat, nonne *Majeſtas tua* ex primoribus etiam *Scotiæ* nobilitatis MARCHIONI, quanquam hic aſſiduis circa Teipſum & intimis officiis obſtricto, probandæ Fortitudinis ſuæ veniam indulſit? Per quæſitiſſimas Ambages, in tanto Viarum intercluſu, per maris Terræque diſcrimina, per loca urbeſque peſte & inedia obſitas: ubi fere difficilius erat penetrare, quam vincere: ac durius pati, quam facere. Si poſt hæc ſucceſſus defuere; at non animoſa Regis voluntas, at non ſubditorum virtus, at non ſumptus variis modis, at non Legationes iterum Legationibus accumulatæ, de ſedanda, per æquas conditiones & amicabilem tractatum, Orbis inſania. De cætero vel SOLONIS monitu acquieſcendum. *Nemo ante obitum glorietur,*

Jam inter tot curas, quibus vel optimi Regum maxime premuntur, non injucundum fuerit, pauliſper inquirere quam

quam eleganter intervalla Otii diſponis. Nobilium equorum vſu gaudes; quos nemo peritius aut manſuetos flectit, aut ferocientes domat. Adeo ut aptius an dignius fecerit, ambigatur, qui nuper *Majeſtati Tuæ* Statuam Equeſtrem ex perenni Ære fundi curavit: LISIERII vivax opus.

Accedit Muſica, quæ tam Organica, quam vocalis, ſub Te indies, quam ante hac, modulatior: utpote ad aurium Tuarum judicium accommodata. Hanc, ne mollior videretur, quaſi venatione temperas. Qua, belli imagine, adeo animoſos ſpiritus exerces, ut difficile dictu ſit, venandi Voluptatem magis, an ipſum laborem ames: aut utrum de Præda victoriam, an longam prædæ fugam malles. Sed omnium oblectationum *Tuarum* Splendidiſſima eſt, excellentium operum & artificum amor: queis in utraque, tam pingendi, quam ſculpendi, arte, ita Palatia decoraſti; ut magnificentia *Tua* videatur *Italiam*, maximam elegantium Artium Matrem, aut Saltem poſt Græcos, præcipuam altricem, in *Angliam* transfudiſſe.

His Spectaculis quid amænius imo fere quid doctius rogo, quam elinguem illam umbrarum & luminum elo-

eloquentiam, ac tacitam linearum Poëſin & quaſi animata marmora contemplari? Hic *Tintoretti* quos deſignavit artus & muſculos, moveri ſpectator juraret. Hic *Boſſani* volucres cantillant, mugiunt Boves, Pecora balant. Hic *Raphaëlis* vultus ſpirant: *Titiani* etiam loquuntur. Hic in *Corregiano* Politiem: In *Parmenſi* concinnitatem laudares. Nec *Belgicis* etiam ſua Laus deeſt. Qui ſi campos depinxerint, omne vigentium genus viret, flores rident, montes eriguntur, valles ſubſidunt. Eadem etiam in ſtatuis erudita veritas: quarum hæ membrorum vivacitate quadam, aliæ mollitie gaudent. Sed hæc oculorum delinimenta ſunt. Ad mentem reficiendam, interdum librum aliquem ſelectioris argumenti, plerumque homines legis: optime gnarus, quantum PRINCIPI expediat ſuorum noſſe ingenia. Eſt & quando, veterum Epigrammata recenſendo, animum oblectas, non minori Acumine quam componebantur.

Sic ſeria tua, ſic remiſſiora curſim peragravi. At ipſa quam cepi in his quanquam ita leviter delibandis voluptas, Calamum jam currentem, neſcio quo modo, novo impetu exſtimulat, ut *Majeſtatis*

jeſtatis Tuæ veram effigiem in contractiori Modulo, & quaſi ſub uno ſimul intuitu (ſi tantum veniæ indulſeris) vel mihimet ipſi repræſentem, quam ſic mente concipio.

Staturam dicerem juſtæ proximam. Corpus erectum & Agile. Color in univerſum ex EBORACENSI *Albore*, quam LANCASTRIA *Rubedine* plus hauſit. Cæſaries nigellæ quam flavæ propior. Frons multum Fidei præfert. Oculos generoſa quædam verecundia honeſtat: non qualem olim de *Sylla* ſed de *Pompeio* legimus. In Geſtubus nihil affectatum. In toto etiam Aſpectu nil Turgidi, nil Efferati; ſed alliciens ac decora Suavitas. Alacritatem & vigorem celerior inceſſus prodit: alioquin ſedati affectus & compoſiti mores. Propoſiti & promiſſi tenaciſſimus. Amans veri. Vitiorum oſor. Juſtus, conſtans, fortis: & non ſimpliciter tantum, ſed ſcienter Bonus.

Talis es: Talemque quanto applauſu recipiemus? Videre mihi videor, dum horrida interdum & tranquilla ſimul contendo, quotieſcunque RICHARDVS ille *tertius Eborato* forſan *ſuo*, aut longinquius, *Londinum* remearet, & proceres circa ſe conciret, quam

nutabant

nutabant Nobilium capita, quam pallebant ora, quam ſollicitas inter ſe ſuſpiciones ac murmura conferebant, ac ſi dirus repente Cometes aut infauſtum aliquod ſidus ſupra Horizontem emerſiſſet. Sed contra, juſti bonique *Principis* Reditus nihil aliud omnino eſt quam ipſa ſolis Anaſtrophe, cum vernalibus radiis deformem hiemem expellit, ac blando tepore cuncta circumquaque refovet & exhilarat. Euge igitur *Rex* omnibus bonis gratiſſime. Sed in quæ vota deſinam? *Veteribus* in uſu erat (quorum exemplo percitus exiguum hunc laborem audacter nimium ſubivi) poſt *Trajani* tempora ſub laudatiſſimo quoque Imperatore, hujuſcemodi acclamandi Formula, *Vive Antonine, Regna Theodoſi, Auguſto* felicior, *Trajano* melior. Sit autem hic imperii *Tui* noviſſimus character, quod *Optanda ſunt Laudandis Pauciora.* Igitur poſtquam hoc tantum ex ardenti affectu voverim ut CAROLUS Optimus *Rex* & *Dominus* noſter *Regnet Vivatque, Sibimetipſi ſoli Diuque ſimilis*, Finis eſto

O Fortunatos nimium, Bona ſi ſua norint, Angligenas!

FINIS.